

*Ep. II 21 (Etsi generali,
qua cunctos fideles...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Ep. II 21 (Etsi generali,
qua cunctos fideles...)*

Fulginatibus animans eos in fide, et mandat eis, ut contra rebelles suos procedant cum capitaneo.

1. Etsi generali, qua cunctos fideles nostros pura mentis affectione complectimur, uos affectuose prosequi teneamur, speciales causae uerumptamen cogitationibus nostris se offerunt, quae ad ciuitatis uestrae commoda, inter alias ciuitates Ytaliae, prerogatiua quadam multipliciter nos inuitant. 2. Inducimur siquidem ex antiquo fidei uestrae zelo, quam nec uetustas temporis antiquata debilitat, nec annorum spatia fastidita confringunt, sed quanto plus in tempore labitur, tanto semper in fide nostra feruentior inuenitur. 3. Inducimur etiam ex purae deuotionis uestrae constantia, quae nec uicinorum interdum exemplo summoti, nec persecutionibus hostilibus stupefacta, tanto serena semper extitit et in fide nostra feruentior, quo dampna semper pertulit grauiora. 4. Inducimur nichilominus ex illa causa potissime, quod in Fulgineo fulgere pueritia nostra cepit; et sic dum ciuitatem uestram locum nutriturae nostrae recolimus, erga uos quodammodo dominantis modum excedimus, et naturali quadam humilitate seducti ad uestrum salubre regimen fauorabiliter obligamur. 5. Sic igitur, de cura uestra solliciti, firmiter credimus, quod fidei uestrae sinceritas de bono in melius semper crescat inantea, nec in cor nostrum ascendere poterit, quod ubi sic uos affectuose diligimus, alicuius sinistra suspicio uel suggestio fraudulenta deuotionis uestrae constantiam, de qua stabili mente confidimus, a fide nostra ualeat reuocare. 6. Licet autem egere uos exhortationibus non credamus, quos sine requisitione feruentes ad nostra seruitia probabiliter experimur, nichilomi325 nus tamen

fidelitatem uestram requirimus et hortamur attente, mandantes, quatenus in fide et seruitiis nostris solliciti, more solito uigilantes, sic ad requisitionem Thomasii de Aquino, capitanei ipsarum partium, dilecti generi ac fidelis nostri, quem ad uos tamquam ymaginarium personae nostrae transmittimus, et uobiscum continue uolumus commorari, contra rebelles nostros uos potenter et uiriliter opponatis, quod fine laudabili principium comitante nostrae serenitatis dexteram ad uestrae generalitatis et specialitatis augmenta, quasi per debitum obligetis. 7. Nos enim sic alta mente et amplis retributionibus fidem uestram disponimus compensare, ut in nostris seruitiis perstitisse fideliter merito gaudeatis.